

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1009

Auteur(s) : Guillaume Acarin, Caen, Saint-Sépulcre (doyen)

Bénéficiaire(s) : Caen, Saint-Sépulcre (collégiale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1219

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume Acarin, doyen du Saint-Sépulcre de Caen, et son chapitre, notifient la charte à eux adressée par Robert II des Ablèges, évêque de Bayeux, dans laquelle il approuve la fondation de l'église collégiale du Saint-Sépulcre et la nomination de Guillaume Acarin comme premier doyen.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCXIX, t. 1, p. 267-269.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus, ad quos praesens scriptum pervenerit, Willelmus Acarin, decanus Sancti Sepulchri de Cadomo, et capitulum ejusdem loci, salutem in Domino. Noveritis venerabilem patrem nostrum Robertum, Baiocensem episcopum, cartam suam concessisse ecclesiae Sancti Sepulchri de Cadomo, et ejusdem ecclesiae canonicis, in haec verba: Universis Christi fidelibus ad quos praesens scriptum pervenerit, Robertus, Dei gratia Baiocensis ecclesiae minister humilis, salutem in Domino. Universitati vestrae notum fieri volumus quod, cum quidam clerici ad honorem Dei et ecclesiastici cultus ampliacionem, possessiones et bona, pio et gratuito affectu, obtulerint ecclesiae Sancti Sepulchri de Cadomo, nos, eorum attendentes devotionem, liberaliter concedimus ut easdem possessiones et bona sibi, quamdiu vixerint, tenere liceat nomine praebendarum ecclesiae supradictae. Sustinemus tamen ut facilitatem habeant, cum eos cedere vel decedere contigerit, personis aliis, quibus voluerint, easdem conferre praebendas: quae personae eadem gaudeant libertate, ut post cessionem vel decessum eorum, sibi substituere valeant alios in praebendis, hac indulgentia tertiam non excedente personam, ita quod prima persona, quae praebendam obtinuerit, in trium numero concludatur. Si vero eorum aliquem interim contigerit decedere, nulla facta ab eo donatione de praebenda, ad legitimum et propinquiores haeredem illius, qui praebendam instituerit, potestas redeat conferendi. Similiter, si aliquis laicus ibidem de bonis suis simpliciter et ex devotione praebendam instituerit, praescripta gaudeat libertate conferendi. Postmodum vero collatio omnium praebendarum et personatum, quae ibidem fuerint institutae, ad nos episcopum, et ad decanum ejusdem ecclesiae, nulla obstante praescriptione temporis, devolvetur, ita quod nos episcopus, et successores nostri, unam, et ipse decanus aliam, vicissim, cum eas vacare contigerit, conferemus, eodem modo in personatibus penitus observato, et in futurum observando, si in eadem ecclesia personatus aliquis creari contigerit, qui superius in praebendis est expressus quantum ad numerum et electionem successorum, solius etiam decanatus donatione, per trinam donationem praescriptam penes nos episcopum, et successores nostros, remanente. Volumus etiam et concedimus ut dicta ecclesia Sancti Sepulchri, quae ad nostram pertinebat donationem, et quam Willelmo Acarin, clerico, contulimus, et quem decanum constituimus post decessum ejusdem Willelmi, in communes usus decani et canonicorum in

perpetuum convertatur. Postquam vero ad nos, et ad decanum ejusdem loci, donatio devenerit præbendarum et personatum, quicumque præbendam habuerit, ad residentiam teneatur. Alioquin, fructus præbendæ absentis in communes usus decani et canonicorum deducantur, salvo jure episcopi et decani. Et sciendum est quod decani ad nos episcopum solummodo et successores nostros, canonicorum vero loci ad suum decanum, si per eundem decanum emendari potuerit, excessuum correptio pertinebit. Quod si in gravibus excessibus deliquerint, ad solum episcopum correptio pertinebit. Neque sæpediti decanus et canonici Sancti Sepulchri aliquod privilegium seu indulgentiam contra ecclesiam Baiocensem in posterum poterunt impetrare, et si impetraverint, nullam obtinebit firmitatem. Hoc autem concedimus, salvo omni jure et libertate ecclesiarum nostrarum, et capituli, et præbendarum Baiocensium, contra quod si fieri contigerit, ad nos solum episcopum correptio pertinebit. Nos igitur ea, quæ in carta prædicta continentur, rata et grata habentes, fideliter promittimus nos eadem in perpetuum servaturos, nec aliquo tempore aliquid contra prædicta facturos. Ad cujus rei testimonium et securitatem plenioræ præsentis scripto sigilli nostri munimen duximus apponendum. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo nono decimo.